

(49. Locatores operarum suarum tenentur etiam ad interesse et damna, si quæ ex eorum culpa lata, vel levi, non tamen levissima, domino emergunt, *Communis*, arg. l. *Si*, § 10, ff. *Ad legem Rodiam*; et ratio est, quia in contractibus, qui fiunt in gratiam utriusque contrahentis, ex culpa lata, vel levi, non tamen ex levissima, obligantur contrahentes; arg. l. *Sicut certo*, ff. *Commodati*: unde si quis sit conductus ad opus aliquod faciendum, et illud sive ob suam imperitiam, sive ob non adhibitam debitam materiam, sive ob aliam causam sua culpa opus imperfecte, aut vitiose conficit, tenetur ad interesse et omnia damna resarcienda, *Communis*, per textum in l. *Si in lege princ.* 24, l. *Opus* 36, l. *Ea lege*, l. *Locavi*, ff. *Locati*.

(50. Qui operam suam locarunt ad custodiendum gregem, vel aliam rem, tenentur ad restitutionem, si sua culpa lata, vel levi perit, seu perditur ovis, vel res et huiusmodi, *Communis*, per textum in l. *Si quis fundum* 9, § 4, ff. *Locati*; l. *Qui mercedem* 5, ff. eod. (51. Et tales custodes ad se liberandum ab onere restitutionis, tenentur probare, quod ovis, seu res furto, vel rapina ablata sit, vel fugerit, vel perierit et huiusmodi et quod eorum culpa id non acciderit, *Communis*; arg. l. *Si quis fundum* 9, § 4, ff. *Imperator*, ff. *Locati*; l. *Si quis ex argentariis prope finem*, ff. *De edendo*, juncta l. fin. ff. *De custod. rerum et exhib.*

(52. Famuli, alique locantes operas suas, si ante finitum tempus locationis absque legitima causa ex malitia, et culpa sua discedant, tenentur ad damna domino inde secuta, *Communis*; arg. l. *Dominus* 55, § 2, ff. *Locati*, et l. 1. cod. *De servis fugitivis*, ubi additur ratio, videlicet: « Ne servorum fuga dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa. »

(53. Sic etiam dominus debet totum salarium servis conductis, si absque legitima causa eos repellit ante finitum tempus locationis, *Communis*; arg. leg. *Quis opera* 38, ff. *Locati*, ibi: « Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quominus operas præstet; » l. 2, ff. *De his qui sui, vel alieni juris*; l. *Sed addes* 19 § 4, ff. *Locati*. (54. Nisi famuli aliud servitium pro æquali mercede statim acquirant; sicque damnum non sentiant; arg. l. *Sed addes* 19, § 4, ff. *Locati*; ubi statuitur deberi mercedem illi, penes quem non stet, quod operas locatas præstaret, ibi: « Si eodem anno mercedem ab alio non accepit. »

(55. Hinc generaliter tenetur conductor solvere personas conductas, etiamsi uti non possit opera earum, si impedimentum, intuitu ipsius conductoris, proveniat; et nisi tales personæ conductæ interea alii pro æquali mercede operas præstent, sicque damnum non sentiant, *Communis*, per mox citata jura sub n. 53 et 54.

(56. Si autem impedimentum ratione ipsarum personarum conductarum proveniat, quominus earum opera uti possit

conductor, tunc mercedem dare non tenetur, nisi pro rata temporis, quo earum opera uti potuit, *Communis*, arg. l. *Ex conducto* 15, § 2 et 6, ff. *Locati*; l. *Ex fundo* 33, ff. eod. l. final. cod. *De conduct. ob caus.*

(57. Unde herus non tenetur dare mercedem famulo pro longo et notabili tempore, quo ægotat, nisi id specialiter sit conventum, aut ferat consuetudo regionis: Sic *Glossa* communiter recepta in leg. penult. cod. *De conduct. ob caus.*; Bartolus, in l. *Si uno*, § *Item cum quidam*, ff. *Locati*, et in l. *Opera*, ff. *De usufr. leg.*; Ancharanus in cap. *Propter sterilitatem* 3, *De locato*, n. 17; Abbas in cap. 1 *De clerico ægot. et debil.*, n. 6; Covarr., lib. iii *Variar. resol.*, cap. 13, n. 8; Navarrus in *Manual.*, cap. 17, n. 108; Rosignol., *loc. cit.*, contract. 10, prænot. 9, n. 8; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 99, et alii passim.

(58. Dicitur autem notanter: « Nisi id specialiter sit conventum, aut ferat consuetudo regionis, » quia cap. *Contractus* 83, *De reg. jur.* in 6, expresse dicitur, « quod contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; » unde talis conventio omnino servari debet, l. *Exempto* 11, ff. *De action. empt.* Et sic etiam talis consuetudo servanda est, cum hæc legitime introducta vim legis habeat; cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine*, et maxime, quia locatio, seu conductio præsumitur fieri juxta consuetudinem locorum, nisi aliud exprimat; l. *Circalocationes* 19, cod. *De locato*. (59. Dicitur etiam notanter, *pro longo et notabili tempore*, quia si modico solum tempore v. gr. per aliquos dies ægotaret famulus ad annum conductus, ex æquitate et naturali charitate, non esset aliquid propterea de sua mercede detrahendum, arg. l. *Cum hæres* 4, § 5, *De statu lib.*

(60. An autem famuli, vel famulæ possint occulte aliquid surripere de bonis suorum dominorum, seu conductorum, quando judicant mercedem, seu salarium eorum esse minus justo, *Vid. verb. Famuli, Famulæ* an. 26, et verb. *Compensatio* per tot.

(61. Conductor vi conductionis tenetur integrum pretium solvere locatori tempore in contractu præfixo, *Communis*, per textum in l. *Quod si* 28, et l. *Insulam* 58, ff. *Locati*.

(62. Unde si sit in culpabili mora solvendi, tenetur et pretium et usuras ejusdem solvere; si enim qui ei locavit rem, seu operam suam, ratione non sibi soluti conventi pretii tempore præfixo, patiat aliquid damnum, ut si cogatur credito, et consequenter carius emere sibi necessaria, debita contrahere, et pro summis capitalibus interesse solvere; seu aliquid honestum et licitum lucrum amittere, tenetur ipse conductor ad omnia talia, et similia damna causata ex sua culpabili mora solvendi integrum pretium; textu expresso in l. *Præses* 17, cod. *De locato*, ibi: « Præses provinciae ea, quæ ex locatione debentur, exsolvi sine mora curabit, non ignarus ex

locato et conducto actionem, cum sit bonæ fidei, post moram usuras legitimas admittere; » et sic tenet communis doctorum.

(63. Conductor sine justa et rationabili causa ante tempus conductionis finitum nequit rem conductam dimittere; alias, si dimittat, tenetur solvere pensiones totius temporis conventi, *Communis*, textu expresso in l. *Dominus* 55, § *Qui contra legem*, ff. *Locati*, ibi: « Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine justa et probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest: » et concordat l. *Si in lege*, § *Si domus*, ff. eodem, cum similibus.

(64. Dicitur notanter *sine justa et rationabili causa*, quia, tali aliqua causa interveniente sine sua culpa, potest rem conductam deserere, et pensiones non solvere; tales autem justæ causæ sunt; si res facta fuerit sine sua culpa inhabilis ad eum usum ad quem conduxit; si nequeat domum inhabitare, vel quia ruinam minatur, vel spectris, seu spiritibus prædominantibus infestatur, vel pestis, et hostilis incursio ibi prudenter timetur, et huiusmodi; l. *Habitatores* 27, § 1, ff. *Locati*, et *cit. l. Dominus*, et *cit. l. Si in lege*, cum similibus, et communis doctorum.

(65. Conductor, transacto locationis tempore, ex vi contractus tenetur rem conductam integram, et non deterioratam reddere locatori, nisi ex ipso usu secundum se, et ex natura sua, et non ex culpa conductoris sequatur aliqua deterioratio, quæ certe non est compensanda, *Communis* per textum in leg. *Conductoris*, cod. *De locato*, et l. *Non abs re*, cod. *Unde vi*. (66. Si autem conductoris dolo, vel culpa lata, seu levi res conducta sit facta deterior, tenetur ad restitutionem, seu compensationem, l. *Si quis* 9, § 3, l. *Item queritur* 13, § 1, ff. *Locati*.

(67. Conductor tenetur non uti re conducta, nisi ad eum usum de quo facta fuit conventio, alias impetitur actione furtiva; l. *Qui juramenta*, et l. *Qui pignore*, ff. *De furtis*, l. *Si ut certo*, § *Sed interdum*, ff. *Commodati*, et § *Furtum autem sit*, *Instit. de obligat. quæ ex delicto*. (68. Nisi fors rationabiliter præsumeret locatorem non fore invitum l. *Qui re* 76, ff. eod. (69. Unde qui, absque rationabiliter præsumpto locatoris consensu, utitur re conducta ad alium usum ad quem per locatorem non fuit concessa, et in illo usu ex casu fortuito res fuerit perperita, vel deteriorata, tenetur de casu. Sicut, si quis equum conduxerit pro itinere Taurinum versus, et eo usus fuerit versus Mediolanum, et ultra, eoque in itinere furatus fuerit, seu perierit, tenetur ad restitutionem, et ad omnia damna, et interesse locatoris, quia peccavit contra justitiam in damnum ipsius locatoris, et ex culpa dedit causam ipsi casui fortuito. Molina disp. 295, vers. *Illud præterea*; Filliucius, tr. 34, cap. 8, n. 186. Baldus, cons. 289, n. 4, citati, et secuti a Rosignolo, l. c. contract. 10, prænot. 15, Bonacina, *De contract.*, disput. 3, quæst. 7, punct. 3, eum aliis ibi

citatis, Reiffenst., *loc. cit.*, n. 58, et alii arg. citatis juribus.

(70. Conductor tenetur ad resarciendum damnum, sive propria, sive famulorum culpa contingat, si negligens vel culpabilis fuit in seligendis bonis ac probatis servis; secus vero si servi selecti erant moribus, et vita probi, et tales, ut prudens paterfamilias eos non reprobaret; argum. l. *Videamus* 11, in princip. *Locati*, ibi: « Videamus an et servorum culpam, et quoscunque induxerit, præstare conductor debeat? etc. Mihi ita placet, ut culpam etiam eorum quos induxit, præstet suo nomine, etsi nihil convenit, si tamen culpa in inducendis admittit, quod tales habuerit, vel suos, vel hospites. » Concordat l. *Nam et servus*, § fin., ff. *De negot.*, ff. l. *De illo*, ff. *Pro socio*, l. *Cum plures*, ff. eod., l. *Qui insulam*, § fin., ff. *Locati* leg. *Si servus servum* 27, § 9, ff., ad *Leg. Aquil.*, ubi expresse dicitur: « Si fornicarius servus coloni ad fornacem obdormisset, et villa fuisset exusta, Neratius scripsit, ex locato conventum præstare debere; si negligens in eligendis ministris fuit. » Ex quibus juribus aperte inferitur, conductores teneri quidem de damno proveniente ex culpa servi non probi, nec diligentis, culpabiliter electi, at non de damno proveniente ex culpa servi probi, diligentis, et probati prudenter electi. Sic Azorius *Instit. moral.*, part. iii, lib. viii, cap. 7, quæst. 4, Rosignol. *loc. cit.*, contract. 10, prænot. 7, n. 6, Reiffenst., *loc. cit.*, n. 64 et alii. *Vid. verb. DAMNIFICATIO, DAMNUM*, n. 8, et verb. *INCENDIARIUM*.

(71. Probare, quod damnum ortum, v. gr. incendium in domo conductæ contigerit culpa conductoris, spectat ad locatorem. Menochius, *De arb. tr. judic.*, cas 390, n. 9. Mynsing., centur. 6, observ. 88; Laymann, lib. iii, *De justitia*, tract. 4, cap. 22, n. 6, ubi testatur de communi; Gail., lib. ii, observ. 21; Engel, lib. iii *Decretal.*, tit. 18, n. 7; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 68, dicens esse communem aliorum sententiam: Mascard, vol. II, conclus. 467, n. 8, ubi concludit hanc sententiam veram esse ac communem. Et ratio est, quia actori incumbit probatio, l. ii, ff. *De probat.*, et l. iv, cod. *De fatendo*; in casu autem incendii, si locator præten- dit damni compensationem, est actor, ut de se patet, adeoque, etc. Tum quia culpa, et delictum in dubio non præsumitur, sed probari debet, ut tenet communis doctorum cum Mascard, *loc. cit.*, n. 1, argum. l. *Merito* 51, ff. *Pro socio*, l. *Dolum* 6, cod. *De dolo*.

(72. Quando conductor uti non potest re conductæ ob impedimentum ex parte sua, vel ratione sui proveniens, tenetur nihilominus ad totam mercedem, *Communis*; arg. l. *Habitatores* 27, § 1, ff. *Locati*, et l. *Dominus* 55, § 2, ff. eod. (73. Nisi fors locator talem rem v. gr. domum a conductore desertam, statim alteri pro æquali pretio locaverit, ac consequenter nullum damnum sentiat arg. l. *Sed addes* 19, § 9, ff. *Locati*, ubi statuitur deberi mercedem illi penes quem non stet, quod operas locatas præsta-

ret: « Si eodem anno mercedem ab alio non accepit. »

(74. Si autem conductor non possit uti re conducta ob impedimentum non ex sua culpa, nec ratione sui, sed vel ex culpa locatoris, seu aliunde proveniens, non tenetur solvere mercedem pro illo tempore quo re conducta uti non potuit. *Communis*, arg. cit. leg. *Habitatores* 27, § 1, ff. *Locati*, l. *Si fundus* 33, l. *Perinde* 34, l. *Et hæc* 35, ff. eod.

(75. Conductor an teneatur augere mercedem, si tempore ubertatis ac fertilitatis majores solito fructus percipiat ex re frugifera conducta? Variæ sunt sententiæ doctorum. Prima absolute tenet, in tali casu augendam esse pensionem in favorem locatoris: sic juristæ communiter, quos affert Molina disp. 494, n. 15, ut notat Lugo, tom. II, disp. 49, n. 50; Rosign. *De locato et conducto*, contract. 10, n. 5, cum pluribus aliis ibi citatis, et supra adductis sub n. 39, quia in contractibus onerosis ultro, citroque obligatoris debet esse æqualis utriusque contrahentis conditio, adeoque si in magna sterilitate debet locator minuire pensionem conductori, eandem debet augere in magna abundantia conductor locatori. *Contrarium enim eadem est ratio*, leg. 1. ff. *De his qui sui, vel alieni jur.*, et ut dicitur in reg. 10, ff. *De reg. jur.*: « Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda: » et consonat caput *Qui sentit* 55, *De regul. jur.*, in 6, ibi: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra. »

(76. Secunda sententia tenet augendam esse pensionem in favorem locatoris, quando ubertas seu abundantia provenit ex aliquo casu fortuito ob rerum mutationem; ut si v. gr. quis conduxit molendinum, quod solum supersit, reliquis omnibus casu fortuito aquarum impetu destructis, proinde multo plures afferat fructus seu redditus, tunc conductor augere debet pensionem in favorem locatoris: Molina, disput. 494, n. 10; Lessius, lib. II, cap. 24, dubit. 3, n. 21; Filiucius, tract. 36, cap. 3, qu. 5; Navarrus, cap. 17, n. 191; Reginaldus, lib. XXV, cap. 7, n. 524; Abbas in cap. *Si propter sterilitatem* 3, *De locato*, n. ult.; Azorius, par. III, lib. IX, cap. 10, quæst. 3; Bonacina, *De contractib.*, disp. 3, q. 8, punct. 3, n. 14; Pirringh, lib. III *De decr.*, tit. 18, n. 18, ubi dicit esse communem, et idem dicendum esse, quando ubertas provenit ex cæli clementia propter rationem, et jura adducta n. antecedenti.

(77. Tertia sententia tenet absolute nunquam augendam esse pensionem in favorem locatoris propter notabilem ubertatem seu abundantiam, sive ipsa proveniat ex cit. casu fortuito de molendino, sive ex clementia cæli et aeris, et tanto minus si proveniat ex speciali industria et opera ipsius conductoris. Lugo, *De just. et jur.*, tom. II, disp. 19, n. 52; Engel, lib. III *De decr.*, tit. 18, n. 6; Zoesius, *ibidem*, n. 12; Caninus, *ibidem*, n. 9; Reiffenstuel, *ibidem*, n. 78 et seq.; Barbosa, in cap. *Propter sterilitatem* 3, *De lo-*

cato; Illsung, t. IV, d. 2, n. 459; La Croix, lib. III, p. II, n. 1049, ubi dicit esse communem, quia l. *Si merces* 25, § *Vis major*, ff. *Locati*, dicitur expresse quod conductori *immodicum lucrum non auferitur*, et pro hac sententia stat consuetudo et praxis fere universalis, ut fatentur Pincianus, Pinellus, Emman. Suarez, Valasc, Salicetus, et alii quos affert et sequitur Rebellus, part. II, lib. XIV, quæst. 9, n. 1; Lugo l. c., n. 52, et alii dicentes usum non esse augendi pensionem ex hac causa: unde ubi revera viget hæc consuetudo et praxis, servanda est: argum. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine*; et l. *Circa locationes* 1, cod. *De locato*, ubi statuitur circa contractum locationis attendendum esse ad regionum consuetudines.

(78. Conductor obligans se ad casus fortuitos in genere, non obligatur ad casus penitus insolitos. Bartolus in l. *Scio*, § *Medico*, ff. *De annuis leg.*; Butrius in cap. 1 *De commodato*; Bonacina, l. c., n. 13; Rosignol, l. c. prænot. 8, n. 4; Pirringh, l. c., n. 6; Reiffenstuel, loc. cit., n. 40, ubi ex Molina disp. 495, n. 20, dicit esse communem contra Pinellum, et alios apud Molinam l. c., arg. l. *Fistulas*, § *Frumenta*, ff. *De contrahend. emptio.* et Gloss., *ibidem*, verb. *Immoderate*. Ut autem reputetur casus pro penitus insolito, non sufficit quod a longo tempore, v. g. a quadraginta annis non contigerit, sed debet esse talis, qui in hujusmodi regione nunquam contigerit, aut omnem memoriam hominum superet, ita ut de illo nulla penitus cogitatio, aut timor a conductore concipi potuerit; sic notant passim doctores.

(79. Si tamen conductor per pactum expressum se obligasset ad quoscunque casus fortuitos, etiam penitus insolitos, tunc ad ipsos teneretur: *Communis* per textum in l. *Si quis* 9, § 2, ff. *Locati*, l. *licet* 8, cod. eod., l. *Item queritur*, § *Si gemma*, ff. eodem, l. *Juris gentium*, § *Si quis pactus*, ff. *De pactis*, et cap. *Contractus* 85, *De regul. jur.* in 6, ubi expresse dicitur « quod contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » *Vid. supra*, n. 41.

(80. Conductor suscipiens in se periculum equi conducti, non tenetur de morte naturali ejusdem, quia nomine et appellatione periculi non venit mors naturalis ex naturalibus causis obventura; sed in his et similibus causis nomine periculorum veniant ea quæ ex causis extrinsecis possunt obvenire, ut ex incursione hostium, latronum aggressionem, viarum difficultate, et similibus. Tum quia mors naturalis æque obvenire potuisset, sive equus fuerit locatus, sive non; sive locatus tali conductori, sive alteri: nisi conductor quodammodo per modum insuetum causam dederit illius morti, quia tunc, ratione culpæ, teneretur de ipsa morte; sic Rosignolus, loc. cit., disquisit. 1, § 23, n. 2, et alii.

(81. Conductor tenetur prius aliis locatori in fructibus rei locatæ, et locator in dictis fructibus habet tacitam hypothecam contra

quoscunque creditores anteriores conductoris. *Rota recent. par. XIV*, dec. 64, n. 9, p. 18, tom. II, dec. 726, n. 3, et sequent., p. 19, tom. I, dec. 91, n. 20. (82. Locator enim, seu dominus fundi pro pensione sibi debita potest agere executive supra dictis fructibus, l. *Si servus* 63, § *Locavi*, ff. *De fur.*, *Rota*, par. XIV, cit. dec. 64, n. 6, qui fructus fundi tacite censentur pro pensione obligati, l. *In prædiis*, ff. *In quibus caus. pignori vel hypoth.* *Rota*, *ibidem*, n. 7, et locator, seu dominus fundi, quousque non fuerit de pensione satisfactus, potest interdiciere asportationem fructuum. *Rota*, *ibidem*, n. 8.

(83. Locatori competit jus, et actio ex locato ad ea omnia prosequenda, ad quæ eidem obligatur conductor vi locationis; et econtra conductori competit jus, et actio ex conducto ad ea omnia prosequenda, ad quæ eidem obligatur locator vi conductionis. *Communis* per textum in l. *Præses* 17, cod. *De locato*. Et hæc jura, et actiones, sicuti etiam onera, et obligationes, transeunt respective ad eorum hæredes. *Communis*, per textum in l. *Sed addes* 19, § 9, § *Locati*, l. *Viam veritatis* 10, cod. eodem, § final. *Institut.* eod. l. *Veteris* 13, cod. *De contrahend. et commit. stipul.*, ubi universaliter ita statuitur: « Generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando, sive in faciendo inveniat, ad hæredes, et contra hæredes transmitti; » et ibi etiam additur ratio: « Cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad hæredes, et adversus eos transmittatur? »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(84. De locatione bonorum ecclesiasticorum disseruimus, licet breviter, in addit. ad verb. *Alienatio*, articul. 3. Disserendum hic sed breviter quoque de locatione fructuum eorumdem.

(85. Porro, si fructus non ad rectorem ecclesiæ, sed ad ipsam ecclesiam pertineant, ut solent esse fructus destinati in fabricam ecclesiæ, prohibita sine solemnitatibus est eorum locatio ad longum tempus, non secus ac locatio bonorum ecclesiasticorum pariter ad longum tempus: *Clement.* *De reb. eccles. non alienand.*

(86. Si autem fructus pertineant ad rectorem, indubitanter prohibita est eorum locatio anticipatis solutionibus in præjudicium successoris, ex concilio Trid., sess. XXV, cap. 11, *De refor.* (87. Quinimo, secluso etiam præjudicio successoris, ex constitutione S. M. Benedicti XIV. cui initium est: *Universalis Ecclesiæ cura*, prohibita quoque est locatio eorumdem ad vitam, recepta unica vice mercede illa, quam beneficiatis habita ratione ætatis, tum valetudinis corporis verisimiliter durante vita consequi potuis-

set; idque, ne consumpta pecunia illa, mendicare postea cogatur ipse beneficiarius.

(88. Extra hos casus opinio non vulgarium doctorum est, quod ad longum tempus, imo ad vitam, locari sine solemnitatibus a beneficiario possint fructus ad se spectantes, propterea quod sacri canones prohibendo alienationem bonorum ecclesiasticorum, prospicere intellexerunt indemnitati ecclesiarum duntaxat, non item rectorum earumdem, ut nominatim confutatis Guttierrez, Barb. aliisque, firmant doctores in *Decret.* ad tit. *De locatis*, Pirringh, n. 26, Scamb., n. 3, Wiestner, n. 14, Leuren., qu. 146, per tot.; Schmalzgrueb, n. 37, Covarruv., *Variar. resolut.*, lib. II, cap. 16, n. 6. Redoan., *De reb. eccles. non alien.* quæst. 7, § ultim., n. 4; Mantie., *De tacit et ambig.*, lib. XII, t. XII, n. 21, Carroc., *De locat et conduct.*, p. III, n. 51; Azor., *Instit. moral.*, part. II, lib. IX, cap. 2, quæst. 7, Vasquez, *Opus de redditib.*, cap. 2, § 2, n. 31 et 34; Castropal., tom. II, tract. 11, disput. unic. part. II, n. 11; Sopran., *ad Filiuc.*, tractat. 44, cap. 4, quæst. 1; Quarant., in *Summ. Bullar.*, verb. *Alienatio*, n. 18; Molin., *De primogen. Hispan.*, lib. I, cap. 2, n. 27; Alter Molin. *De just. et jur.*, lib. I, tract. 2, disput. 445, n. 6; Giballin., *De univ. negotiat.*, tom. II, lib. IV, cap. 8, articul. 4., consec. 11, n. 9; Delbene, *De immunit.*, tom. II, cap. 17, dub. 24, per tot., et rursus c. 18, dub. 10, n. 1 et 7, ubi monstrat, contrariam huic sententiæ haud esse extravagantem *Ambitosæ*, *De reb. eccles. non alienand.* Accedit quod eo ipso quod prohibita est locatio fructuum, de quibus disseritur, anticipatis solutionibus, in præjudicium successoris, et recepta unica vice mercede, hisce exceptis duobus casibus, dici debet permissa, cum alias frustra caderet prohibitio super mox dictis duobus casibus.

(89. At nihilominus delata hac controversia ad supremum auditorium Rotæ, censuit ipsum, ne fructus quidem ad beneficiarium pertinentes posse ab eo ad longum tempus, sine solemnitatibus locari. (90. Quinimo sensit, id ipsum procedere, etiamsi expressim in contractum deducta sit *commoditas* fructuum, si fructus percepturus sit conductor. Vide decisiones in *Aversana Mamutentionis* 22 Junii 1757, et 21 Novembris ejusdem anni, cor. R. P. D. Olivatio. (91. Causa vero semel a sacro Auditorio fuit examinata, et quia prima propositio fuit facta unica duntaxat parte informante, post secundam propositionem per concordiam fuit finita.

(92. Agit auctor n. 8 et 9 de questione illa an et quando successor in beneficium stare teneatur locationi ab antecessore factæ; sed consule qui eam pro dignitate tractat cardinalem Lanfredin. *Respons. Eccles.*, 10, per tot.

LOTH PATRIARCHA.

ADDITIONES AUCTORIS.

(1. Loth quis fuerit, et de rebus ab eo gestis satis Scriptura testatur *Genes. c. XI, XIII, XVIII, XIX*, et *Sapient. X*. Uxor vero ejus,

quam Rabbini (teste Calmeto in *Dictionario*, verb. *Loth*) *Hedith* appellant, cum contra Dei mandatum retrosperisset, in pœnam